

EPICEDIA SELECTIORA

QVORVMDAM

ILLVSTRIVM POETARVM

QVI A SAECVLO XV AD HANC VSQVE AETATEM

NEAPOLI FLORVERVNT

COLLEGIT ET EVVLGAVIT

CAROLVS ANTONIVS DE ROSA

VILLAROSAE MARCHIO.





NEAPOLI,

Ex Regia Typographia.

MDCCCXXII.



CAROLO MARIAE PEDICINIO

PATRITIO BENEVENTANO

SACRIS CONGREGATIONIBVS

CRISTIANO NOMINI PROPAGANDO

EXAMINANDISQVE EPISCOPIS

A SECRETIS

CAROLVS ANTONIVS DE ROSA

S. D.

Cvm non pauca Latina Sepulcralia Epigrammata a me superioribus annis partim e nostrae urbis Templis collecta, partim e Neapolitanarum rerum scriptoribus descripta in forulis asservarem; facturum quidem me operae pretium existimavi, si in unum fasciculum illa congesta typis excudenda curarem. Etenim eorum pleraque adeo mihi elegantia, et concinna

*

visa sunt, ut Latialis Linguae studiosis (quorum tamen nostra aetate exiguus plane est numerus) non mediocrem ipsa delectationem allatura esse confiderem. Et quamvis in quibusdam ex his Epigrammatis dictiones aliquae, ac loquendi formae occurrant, quae Ethnicam superstionem sapiunt, minimeque Christianum virum decent; id tamen nemini mirum videri debet, quicumque adverterit, illorum Auctores eo saeculo vixisse, quo maximo in pretio, atque honore Musae Latinae habebantur, vulgoque homines, licet perperam, existimabant haud quemquam Poëtica facultate posse excellere, nisi veteres Ethnicos Poëtas imitando, superstitiosas fabulas, atque inanium Deorum nomina suis carminibus insereret. Cum autem, PEDICINI *optime, iamdiu inscribendi Tibi aliquid e meis studiis depromptum, eoque pacto singularis testandi amoris erga Te mei occasionem quaererem, omnino mihi faciundum putavi, ut hoc Opusculum ad Te mitterem, praesertim cum Tu Latinis Musis mirifice a puero delectatus fueris, atque idipsum, suavissimis elegantissimisque in Beatae Virginis dolores editis poëmatis, nuper aperte ostenderis. Atque heic alia quoque animi tui eximia decora, et bona percensendi mihi daretur locus, ni laudes huiuscemodi iis omnibus, qui me Tibi*

propinquitate coniunctum esse norunt, suspectae quodammodo videri possent. Quare, ceteris omnibus praetermissis, illud reliquum est modo, ut a D. O. M. diuturnam Tibi vitam, firmamque valetudinem ego exoptem, atque exposcam; ut quemadmodum coepisti, ita quoque egregiam Christianae Reipublicae operam navare pergas in iis muneribus, quibus Sapientissimus et providentissimus Pius VII. Te dignum iudicavit; quem sane Pontificem Deus sospitet, diuque Ecclesiae bono incolumem servet. Vale.

Neapoli Idib. Decemb. An. MDCCCXXII.

EPICEDIA SELECTIORA.

Fr. ANTONII SANFELICII (1).

QVAE miser imposui lugubria saxa sepulcro,
Mi pater, innumeris accipe pro meritis.
Quod si marmoream licuisset sumere formam,
Te natus tegeret non alio lapide.
Incisaeque notae legerentur : Gratus Alexis
Reddidit ossa patri, fitque patri tumulus.

ANDREAE SIMONIS FIL. ALEXIO
ANTONIVS PATRI PIISSIMO
QVI NEMINI VNQVAM INIVRIVS
PRODESSE SEMPER STVDVIT
VIXIT AN. LXX. PERPETVA CVM VALETVDINE.

(1) Extat in ecclesia Divi Agnelli maioris.

ANTONII EPICVRI (1).

NATA, eheu miserum! misero mihi nata parenti,
Vnicus ut fieres, unica nata, dolor.
Nam tibi dumque virum, taedas, thalamumque parabam,
Funera, et inferias anxius ecce paro.
Debuimus tecum poni materque, paterque,
Vt tribus haec miseris urna parata foret.
At nos perpetui luctus, tu, nata, sepulcri
Esto heres, ubi sic impia fata (2) volunt.

ANTONIAE FIL. CHARISS.
QVAE HIERONYMO GRANATAE IVVENI ORNATIS.
DESTINATA VXOR
AN. NONDVM XIIII. IMPLEVERAT
IOANNELLVS GANDINVS ET HELIODORA BOSSA
PARENTES INFELICIS. POSVERVNT
RAPTA EST EORVM COMPLEXIBVS
AN. SALVT. MDXXX. PRID. KAL. IAN.

(1) Extat in templo Div. Clarae.

(2) Ethnicam profecto superstitionem redolentia verba; Christianus enim parens illa Iob usurpare debuisset: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.*

IACOBI SANNAZARII (1).

NATE, patris, matrisque amor, et suprema voluptas,
En tibi, quae nobis te dare sors vetuit.
Busta, eheu! tristesque notas damus, invida quando
Mors immaturo funere te rapuit.

ANDREAE FILIO DVLCISSIMO
QVI VIX. AN. VI. MENS. II. DIEB XIX. HOR. IV
ROBERTVS BONIFACIVS ET LVCRETIA CICARA
PARENTES
OB RARAM INDOLEM.

(1) Extat in templo SS. Severini, et Sosii.

EIVSDEM (1)

Marmore sub gelido, patris spes unica, nate,
  Conderis: heu fera mors quam cito te rapuit
Do tumulo flores, florenti dum cadis aevo;
  Do cineri lacrymas, dum lacrymatur Amor.
I pete iam Caelum, fato sat raptus acerbo:
  I cito, namque tua est indole terra minor.

PHILIPPO DE PETIO
MAGNAM IN SPEM ADOLESCENTI
DVX CAJANELLI PAT. EXTINCTO QVAM VIVO SIMILIOR
VRNAM CINERVM ET LACRYMARVM P.
VIXIT AN. XV. MENS. VIII.
OBIIT SEMIVIVO TAMEN IN PATRE SVPERSTES
VII. KAL. MAII AN. MDXXI.

(1) Extat Theani Sidicini.

EIVSDEM (1).

LIQVISTI gemitum miserae, lacrymasque parenti,
Pro quibus infelix hunc tibi dat tumulum.

IO. BAPTISTAE CICARO
IN QVO VETVSTA AC NOBILIS CICARORVM FAMILIA
ESSE DESIIT
MARIELLA MATER INFELICIS.
MEMORIAE CAVSA CONTRA VOTVM PIETATIS POSVIT
VIX. AN. XXII. MEN. VI. DIES XXVIII. HOR, XVI.
DECESSIT SAL. AN. MDIV. PRID. KAL. DECEMB.

(1) Extat in templo SS. Severini et Sosii.

INCERTI AVCTORIS (1).

QVAE mihi debebas supremae munera vitae,
 Infelix solvo nunc tibi, nate, prior.
Fortuna inconstans, et lex variabilis aevi!
 Debueras cineri iam superesse meo.
Haec dat matris amor, rapti solamina nati,
 Invida cum Lachesis tam breve nectit opus.
Nate, iaces: vivo contra mea vota superstes;
 Vox gemitus posthac, lux mihi erunt tenebrae.

MARIA AYERBA
FERDINANDO TERMVLANORVM DVCI FILIO DVLCIS.
PERPETVO MOERENS P.
AN SAL. HVM. MDXXXI.

(1) Extat. in ecclesia Nosocomii Incurabilium.

INCERTI AVCTORIS (1).

VNICVS, heu miseram! natus post fata mariti,
Spes una, et pulcher flos super unus erat.
Ille meis udus lacrymis adolevit amaris,
Ille mei gemitu pectoris incaluit.
Dumque halat, multaeque ardent in vota puellae,
Vngue illum carpit mors inopina nurus.
I nunc, et vitam cura! cui sola voluptas
Stat dolor, et quam mors una beare potest.

BERNARDINO GALINIO VNICO FILIO ITIDEMQVE VNICO DOLORI QVI CVM IMMATVRE RAPTO SPEM OMNEM OMNEMQVE VITAE DVLCEDINEM INFELIX SEPELIT SEQVE IPSAM MODO PER PIETATEM LICERET LIBENTER SEPELISSET
IOANNA ROSA MATER PRAETER
VOTVM SVPERSTES AD DOLORIS PERENNITATEM
MOESTISSIME POSVIT.

(1) Extat in ecclesia SS. Salvatoris PP. Camaldulensium.

IO. IOVIANI PONTANI (1).

ILLA thori benefida comes, custosque pudici,
Cuique et acus placuit, cui placuere coli;
Quaeque focum, castosque lares servavit, et arae
Et thura, et lacrymas, et pia serta dedit;
In prolem studiosa parens, et amabilis, uni
Quae studuit caro casta placere viro;
Hic posita est Ariadna; rosae, violaeque nitescant,
Quo posita est, syrio spiret odore locus;
Vrna crocum dominae fundat, distillet amomum
Ad tumulum, et cineri spica cilissa fluat.

QVINQVENNIO POSTQVAM VXOR ABIISTI DEDICATA PRIVS AEDICVLA MONVMENTVM HOC TIBI STATVI TECVM QVOTIDIANVS VT LOQVERER NEC SI MIHI NON RESPONDES NON RESPONDEBIT DESIDERIVM TVI PER QVOD IPSA MECVM SEMPER ES AVT OBMVTESCET MEMORIA PER QVAM IPSE TECVM NVNC LOQVOR AVE MEA ARIADNA VBI ENIM OSSA MEA TVIS MISCVERO VIVENS TECVM VIXI ANN. XXVIIII DIES XXVIIII VICTVRVS POSTEA MORTVVS AETERNITATEM AETERNAM IO. IOVIANVS PONTANVS ARIADNAE SAXONAE VX. ABSTIN. AC BENEMERENTIS. POSVIT QVAE VIXIT AN. XLVI. MENS. VI. OBIIT KAL. MART. AN. MCCCCLXXXXI.

(1) Extat in aedicula Pontaniana S. Ioan. Baptistae.

EIVSDEM (1).

HAS aras pater ipse Deo, templumque parabam,
  In quo, nate, meos contegeres cineres.
Heu! fati vis laeva, et lex variabilis aevi!
  Nam pater ipse tuos, nate, struo tumulos.
Inferias puero senior, natoque sepulcrum
  Pono parens, heu! quod sydera dura parant.
Sed quodcumque parant, breve sit; namque optima vitae
  Pars exacta mihi est, cetera funus erit.
Hoc tibi pro tabulis statuo, pater ipse dolorum
  Heres: tu tumulum pro patrimonio habe.

FRANCISCO FILIO QVI VIXIT ANNOS XXIX. MENS. V. DIES. III. PONTANVS PATER ANNO CHRISTI MCCCCLXXXII. P. DIE XXIIII AVG.

(1) Ibidem.

EIVSDEM (1).

Has, Luci, tibi et inferias, et munera solvo,
Annua vota piis, hei mihi! cum lacrymis.
Haec, Luci, tibi et ad tumulos, positumque pheretrum
Dona pater multis perluo cum lacrymis.
Haec dona, inferiasque, heu heu! hunc, nate, capillum,
Incanasque comas accipe, et has lacrymas.
His lacrymis, his te inferiis, hoc munere condo;
Nate, vale aeternum: o et valeant tumuli! -
Quin et hient tumuli, et tellus hiet, et tibi meme
Reddat, et una duos urna tegat cineres.

PONTANVS PATER
L. FRANCISCO FIL. INFELICIS.

EIVSDEM (2).

Liqvisti patrem in tenebris, mea Lucia, postquam
E luce in tenebris, filia, rapta mihi es.

(1) Ibidem.
(2) Ibidem.

Sed neque tu in tenebris rapta es; quin ipsa tenebras
  Liquisti, et medio lucida sole micas.
Coelo te natam aspicio. Num, nata, parentem
  Aspicis? an fingit haec sibi vana pater?
Solamen mortis miserae, te, nata, sepulcrum
  Hoc tegit: haud cineri sensus inesse potest.
Si qua tamen de te superet pars, nata, fatere
  Felicem, quod te prima iuventa rapit.
At nos in tenebris vitam, luctuque trahamus;
  Hoc pretium patri, filia, quod genui.

MVSAE FILIA LVXERVNT TE IN OBITV AC LAPIDE IN HOC LVGET TE PATER TVVS QVEM LIQVISTI IN SQVALORE CRVCIATV GEMITV HEV HEV FILIA QVOD NEC MORIENTI PATER ADFVI QVI MORTIS CORDOLIVM TIBI DEMEREM NEC SORORES INGEMISCENTI QVAE COLLACRYMARVNT MISELLAE NEC FRATER SINGVLTIENS QVI SITIENTI MINISTRARET AQVVLAM NON MATER IPSA QVAE COLLO IMPLICITA ORE ANIMVLAM EXCIPERET INFELICISSIMA IN HOC TAMEN FELIX QVOD HAVD MVLTOS POST ANNOS TE REVISIT TECVMQVE NVNC CVBAT AST EGO FELICIOR QVI BREVÌ CVM VTRAQVE EDORMISCAM EODEM IN CONDITORIO VALE FILIA MATRIQVE FRIGESCENTI CINERES INTERIM CALEFAC VT POST ETIAM REFOCILLES MEOS IO. IOVIANVS PONTANVS L. MARTIAE FIL. DVLCIS. P. QVAE VIXIT AN. XIII. MENSES VII. DIES XII.

EIVSDEM (1).

LVCILI, tibi lux nomen dedit, et dedit ipsa
  Mater Stella tibi, Stellaque luxque simul.
Eripuit nox atra, nigrae eripuere tenebrae!
  Vixisti vix quot littera prima notat.
Hosne dies? breve tamne tibi lux fulsit? et aurae
  Maternum in nimbis sic tenuere iubar?
Infelix fatum! puer heu! male felix heu! quod
  Nec puer es, nec lux, nec nisi inane quid es!
Floreat ad pueri tumulum ver, halet et urna
  Lucili, et cineri spiret inustus odor.

DIES L̄ NON IMPLESTI FILIOLE
BREVE NATVRAE SPECIMEN
AETERNVSQVE PARENTVM MOEROR
AC DESIDERIVM IO. IOVIANVS
PONTANVS P.

(1) Ibidem.

EIVSDEM (1).

QVID satis huic, hospes, cineri feliciter optes,
Cui fuit ex omni parte probata fides?
Cognatis, Patriaeque bonus, vir commodus agris,
Vtilis et bellis, parque domi atque foris.
Detractum Henrico nihil est sub iudice morum,
Quo merito iactat se Puderica domus.
Dic igitur pia verba, simul cum thure, sacerdos,
Da nardum; huic tumulo dicere non sat *ave* est.

EIVSDEM (2).

NEC patria profugus puer, exutusque bonorum,
Nella, tibi aut titulos, aut pia iusta dedi.
Nec pro blanditiis lacrymas, pro munere vitae
Mortis dona tuo persolui cineri.
Nella, vel affectus matris, vel munus obibas,
Nella, mihi nutrix, Nellaque, mater eras.
Nunc procul a patria senior iam, dona pheretri,
Et iusta, et cineri debita persoluo.
Aeternum mihi, Nella, vale, ac requiesce sepulcro,
Et valeant cineres, et mihi, mater, ave.

(1) In tumulo Henrici Puderici.

(2) Nellae materterae Pontanus loquitur.

*

EIVSDEM (1).

ARMA manu tibi capta, et victo ex hoste trophaea,
Haec tibi marmora erunt, haec tibi erunt tituli.
Hoc tibi Mars statuit, statuit Bellona sepulcrum,
O Davale; haec cineri debita busta tuo.
Hic Alfonse iaces ornatus, et obrutus armis:
Arma tibi tumuli, tela tibi tituli.

EIVSDEM (2).

NON artes tibi Romanae, non gloria belli
Defuit, aut magno Principe dignus honor.
Non fortuna domus, clarique a stirpe parentes,
Vrse, nec antiqua nobilitate genus.
Praestans ingenio, praestans et viribus idem
Corporis, ingenii sed gravitate prior.

(1) In tumulo Alfonsi Davalos.

(1) In tumulo Vrsi Vrsini Princip. Nolani, et Asculani.

Illustres titulos dedit et tibi Nola, dedere
Oppida multa tuo recta sub imperio.
Defuit ah tantum vitae pars optima; namque
Mors properans medio tempore te rapuit.
Sed tibi victrices Musae statuere sepulcrum,
Ne mors ipsa tuas deleat exequias.

EIVSDEM (1).

DVM ruit incautus stratum Iaomotus in hostem,
Occubat, et victi victor ab ense cadit.
Extinctum flevere Duces, tristesque Manipli,
Castraque magnanimi funera moesta viri.
Indulsit iuveni lacrymas Rex mitis, et illum
Ornavit moestis funeris exequiis.
Movit amans fletum virgo, movere puellae;
Forma quidem lacrymis digna erat illa novis.
Elatus misero est urbis moerore, tulitque
Hanc laudem, quod non liquerit ipse parem.

JAOMOT. TORRE EQVITI VALENTINO
REG. CVSTODIAE CAPITANEO PRIMVM SVB
ALPHONSO PATRE MOX SVB FERDINANDO FILIO
VIRO DOMI SVAE SVAVIS. BELL. FORTIS.
VIX. AN. XXXVI. OBIIT AN. MCCCCLX. DIE XXIV. FEB.

(1) Extabat in templo S. Petri Mart.

EIVSDEM (1).

Et tibi dant tumulos Musae, meritumque sepulcrum,
  Et tibi dat titulos quae tibi culta Charis.
Altili o venerande iaces hic? hac iacet urna
  Pontificale decus? pontificalis honos?
Ergo agite o nymphae Sebethides, ergo age virgo
  Parthenope, ad tumulum spargite veris opes.
Sparge tuos flores, florum foecunda Patulci,
  Et tu sparge tuas, Antiniana, rosas.
Altilio requiem dic o Chari; dic age Clio:
  Luceat Altilio lux sine fine meo.
Quisquis adest pia verba sonet, madeatque sepulcrum
  De lacrymis, madeat, Pieri, rore tuo.

(1) In funere Gabrielis Altilii Episcopi Polycastrensis, ac Poëtae doctissimi.

EIVSDEM (1).

Non amplae mihi divitiae, non regna fuere,
Sed modicus census, sed sine labe toga.
Nec mihi regales epulae, sed victus honestus,
Mensaque communis, resque modesta domi.
Cultus ager, sine lite domus, sine sorde supellex,
Parca quidem coniux, sed sine prole fuit.
Hinc Fortunato nomen fecere, quod essem
Contentus modicis, simplicibusque bonis.
Sorte sua laetus quisquis fuit, ille beati
Fert nomen: felix, nomen inane puto.

EIVSDEM (2).

Gregorio sit terra levis, ver adsit et urnae:
Terra ferat flores, urna liquore fluat.
Plaudat et huic Latium tumulo, plaudatque iuventus
Itala, Gregorio et Vmbria plaude tuo.

(1) In obitu Fortunati. Ipse in tumulo loquitur.
(2) Gregorii Typhernatis Pontanus tumulum salutat.

EIVSDEM (1).

Hic quoque fabellas lusit, tinxitque lepore,
  Condiit ornatis et sua dicta iocis.
Nobilis ingenio, natu quoque nobilis, idem
  Et doctis placuit, principibusque viris.
Masutius nomen, patria est generosa Salernum,
  Haec simul et vitam praebuit, et rapuit.

EIVSDEM (2).

Has tibi pro mammis lacrymas, proque ubere fletum
  Nate cape: has lacrymas ubera nostra puta.
Quique tibi ad cunas cantus, quae naenia quondam,
  Hi tibi nunc questus, hic tibi sit gemitus.
Has bibe nunc lacrymas, haec haec nunc ubera sume;
  Naeniolae et lusus, nostra querela tibi est.
Quosque dedi flores, et quas de flore corollas,
  Hi tibi sint crines, haec tibi fusa coma.
Aureli tibi sit tellus levis, ac brevis urna,
  Afflet et usque crocos, spiret et usque rosas.

(1) In obitu Masutii Salernitani fabellarum scriptoris.
(2) Aurelii infantuli Mater ad sepulcrum loquitur.

EIVSDEM (1).

NVLLA mihi vivo domus, at nunc certa sepulto est,
Vitaque paupertas, mors mihi divitiae.
Vita mihi exilium, requies at certa sepulcrum,
Nudus eram vivus, mortuus ipse tegor.

EIVSDEM (2).

IN tumulo situs est vatis pater; hoc satis esset;
Sed pater ipse suis laudibus auctus erat.
Cui gentilis honor, cui linguae ornatus et oris,
Atque togae, atque hastae, cui vel utrumque decus.
Non est quod tumulo exoptes; Coelum ille petivit;
Sed venerare piis ossa reposta locis.
Ante diem rapuit Iacob mors; filius illi
Infans quae nequiit, dat modo iusta senex.

(1) In tumulo hominis mendici.
(2) In obitu Iacobi Pontaui Iani Ioviani patris.

EIVSDEM (1).

HAS te ego ad inferias, mater, voco; tu, mea mater,
  Accipe cum fletu munera mixta suo.
Te natus vocat ad pheretrum, tu munera nati
  Accipe, et has lacrymas, accipe et hos gemitus.
Quid natum mater fraudas spe? nec mihi flenti
  Eximis aut lacrymas? eximis aut gemitus?
O dulceis matris vultus, o mollia corda!
  Mater adest, matrem iam peto, iam teneo.
Iam ridet nato mater, iam brachia tendit;
  Iam teneo amplexus, ipse ego iam teneor.
Heu natum mater, natum fugit immemor! heu nil
  Ipsi, ni manes et levis umbra sumus!

(1) Pontanus filius ad pheretrum Christianae matris.

INCERTI AVCTORIS (1).

QVOT lacrymas moriens liquisti, Filia, matri,
Tot tibi dent Superi gaudia perpetuo.
Ter conata sequi, ter spiritus haeserat ori;
Quod volui haud potui, te pereunte, mori.
Solamen, si quod miserae est, insomnia praestant,
Quum tristem in somnis ludit imago animam.

CLAVDIAE GAGLIANAE FOEMINAE RARISSIMAE QVAE VIX. AN. XIX. M. X. D. IV. ANGELA FERRAJOLA MATER INFELICIS. FECIT QVAM TVNC DOLOR INTESTINVS DESERET QVVM CLEMENS MORS ILLAM ASSEQVETVR.

(1) Extabat in templo S. Joan. ad Carbon.

INCERTI AVCTORIS (1).

Didacvs hanc Avalos sibi vivens condidit urnam,
Proh Lopes Eques, et nobilitate micans:
Hispanus genere, uxor et hic Leocadia dulcis
Ponsa Leon, stirps hic et sua tota iacet.
Quos mens una habuit vivos, haec continet urna
Defunctos vita, servat et ossa simul.

OBIIT DIEM SVVM LEVCADIA PONZA LEON
IV. KAL. MAII MDLXXII. TVM. AVT. FACTVS FVIT
ID. AVG. AN. SALVT. MDLXXIV.

(1) Extabat in diruto templo S. Aloysii ante Regias Aedes.

ANTONII PANHORMITAE (1).

Hic iacet Alphonsus, cari spes una parentis,
Et Laurae matris laetitia, atque dolor.
Forma erat infanti, quales consuevit Apelles
Ante Deum sanctos pingere spiritulos.
Lux Veneris matri concessit gaudia partus,
Gaudia quae rapuit mox Iovis atra dies.
Quid facias? Superi quidquid statuere ferendum est:
Sparge puer violas, sparge puella rosas.

EIVSDEM (2).

Qvi legis Alphonsi mores, atque inclyta facta,
Faccivs illorum conditor hic tegitur.
Vnus hic eloquio potuisset flectere Parcas,
Si possent Parcae flectier eloquio.

(1) In tumulo Alphonsi Antonii Fil.

(2) In tumulo Bartholom. Facii qui gesta Alphonsi Reg. descripsit.

EIVSDEM.

Hic iacet ante alias praestans Syliana puellas,
Sive petis formam, sive pudicitiam.
Vix dum bisdenos vitae compleverat annos,
Mortales inter desiit esse homines.
I nunc et formae, mulier, seu fide iuventae!
Illa etiam facies vermibus esca iacet.

EIVSDEM

Illa per Aemilias famosa Antonia terras,
Illa Sibaldinum foemina clara genus,
Hic iacet; o mulier formae nec fide, nec annis,
Nec probitate diu vivere posse puta.
Quaeris in hac faciem? fuit altera pene Diana:
Quaeris item mores? altera Penelope.
Hanc genuit studiis praeclara Bononia legum;
Huc autem cari coniugis egit amor.

EIVSDEM (1).

Hoc Francisca iacet gelido Sergentia busto
  Clara genus, vita clara, sed illa magis.
Cara viro coniux, et filia cara parenti;
  Grata sed in primis relligione Deo.
Forma fuit certe non contemnenda; sed oris
  Neglexit laudem, laude pudicitiae.
Illa quidem talis: tu, qui legis ista, rogato
  Tam pia defunctae neu gravet ossa lapis.

BERNARDVS DE RAYMO.
INSTITVIT HOC
FRANCISCAE SERGENTI VXORI DILECTAE
QVI CVM VIXIT AN. IV. SINE QVERELA
OBIIT AN. AETAT. SVAE XVIII. MCCCCXLVIII.

(1) Extabat in templo Div. Laurentii.

EIVSDEM.

QVAERITE Pierides alium, qui ploret amores,
Quaerite, qui Regum fortia facta canat.
Me pater ille ingens hominum sator, atque Redemptor
Evocat, et sedes donat habere pias.

INCERTI AVCTORIS (1).

DAT sua telluri, sua dat coelestia Coelo,
Donec summa dies iungat utrumque polo.
Virtute, ingenio, fortuna, et corpore parvus,
Parva etiam parvo condidit ossa solo.

(1) Extabat in templo Montis Oliveti.

INCERTI AVCTORIS (1).

Marmore Laura sub hoc eheu Folleria proles,
  Iulius et fatis raptus uterque iacent.
Coniugis, atque patris pietas quibus alma Ioannis
  Antoni Torni dat requiem tumulo;
Vt sibi quam posuitque suis, statuitque perennem,
  Translata haec eadem contegat urna duos.
Vxori, nataeque tuis, pater optime, versus
  Fecisti hos, heu nunc do tibi et has lacrymas.
Quae si te possent gelido revocare sepulcro,
  Tantis pro lacrymis solverer in fluvium.

PARENTIBVS BENEMERENTISSIMIS
GERMANOQVE DESIDERATISSIMO
VINCENTIVS TORNVS V. I. D. FEC.
MDLXVIIII.

(1) Extabat in templo S. Augustini prope R. Sigl. in sacello familiae Torno.

INCERTI AVCTORIS (1).

QVOD rigido cernis mentitas marmore formas,
Sculpta vel artificis saxea busta manu:
Haec te nosse iuvat mortis monimenta: potestas,
Illius edictis, imperiumque subest.
Tu modo, nam monitis loquitur non flebilis urna
Haec tibi, mortalis, tu quoque disce mori.

INCERTI AVCTORIS (2).

HIC tumulus magni brevis haec est urna Marini;
Illius hoc tegitur marmore fracta lyra.
Clara Mari traxit cognomina, gurgite pleno
Carmina, et arguto qui dedit ore sales.

(1) Extabat in eccles. S. Iosephi maior.
(2) Extat in coemeter. templi SS. Apostolor. in tumulo Equit. Io. Bapt. Marini.

INCERTI AVCTORIS (1)

Hic iacet heu Caesar, quo nemo sanctior unquam,
  Nec fide maior erat, nec pietate simul.
Nobilitas Campana suo decoravit honore,
  Et nomen generi clara Leaena dedit.
Occubuit tandem, superasque evasit ad auras,
  Quaeque merebatur, proemia digna tulit.

INCERTI AVCTORIS (2)

Aetas, forma, genus, nos heic cum tempore liquit
  In terris, et opes, corporis exuvias.
Ast animam, comites quae semper in orbe fuere,
  Lucida virtutum duxit ad astra chorus.
Tres nati coniux ex me tibi care supersunt;
  Immatura duos mors tulit, ipsa sequor.

(1) Extabat in templo S. Petri ad Majellam.

(2) Extabat in templo S. Mariae in aditu cryptae Puteolanae.

PETRI GRAVINAE (1).

Neapolit. Eccles. Metropolit. Canon.

LIQVISTI assidue lacrymantem cara maritum
  Portia, de medio sic mihi rapta sinu.
Vtque magis doleam, viridi decerpta iuventa,
  Quatuor orbatis hei mihi pignoribus.
Nulla tuum Zimaram faciet sapientia fortem,
  Nulla dies minuet vulnera, nulla manus.
Saucia mens iusto succumbit victa dolori,
  Nec sine te est animi, quae fuit ante, quies.
Vna tamen miseros spes est abrumpere fletus;
  Quando una unanimes nos teget urna duos.

(1) In tumulo Portiae uxoris Marc. Anton. Zimarae philosophi insignis.

EIVSDEM (1).

NATVRAE interpres, summi scrutator Olympi,
Quique animos hominum novit, et acta Deum;
Arte Machaonias medica qui vicerat herbas,
Et iuvenum primus qui moderator erat;
Hic situs est Lucas Maiorius: haud tegit ullus
Hoc decus Ausonio maius in orbe lapis.
Qua decuit parte aeternis se se intulit astris,
Quae telluris erant, iusta recepit humus.

EIVSDEM.

QVAS mihi debueras, o lex praepostera fati!
Nate, patris lacrymas en tibi et inferias.
Immo habe et aeterni non cessatura doloris,
Et desiderii munera cuncta mei.
Quid faciam, tibi cum tantum tria lustra peracta,
Detineatque meum cruda senecta caput?
Nigra mihi ex vero posthac cognomine pellis,
Nigra etiam vitae tempora semper erunt.

OCTAVIANO PVERO
IACOB. PELLINIGER PATER INFERIAS SOLVIT.

(1) In tumulo Lucae Maiorii philos. praestant.

EIVSDEM (1).

Non lacrymis indigne meis, nec honore sepulcri,
Rapte mihi ante diem, dulcis alumne, iaces.
Intra bisdenos te ostendit, et abstulit annos
Parca ferox, votis insidiosa meis.
Nec potuit probitas, nec amoeni gratia vultus
Flectere, non aetas, non pia thura, Deam.
Spes hominum stolidas! tumulavi moestus ephebum,
Qui me debuerat laetus humasse senem.

(1) In tumulo Lenisii alumni immature defuncti.

EIVSDEM (1)

PER DIALOGVM.

QVAE facies haec marmorei gemmata sepulcri?
Haec titulum gemmae quae iacet intus habet.
Qualis erat? Radians Carbo. Quo turbine lucem
Perdidit? Obsessae commoritur patriae.
Ecquid ait moriens? Quis me felicior, inquit,
Parthenope incolumi si mihi funus erat?
Quis dolet extinctum? Dolet omnis sexus, et aetas;
Est quoque fama novem collacrymasse Deas.
Fleverunt Veneres, Charitesque, novemque Sorores;
Contraxit Phoebus lumina, flevit Amor.

(1) In tumulo Hieronymi Carbonis patric. Neapolit.

EIVSDEM (1).

Siccine in exigua, vir magne, reconderis urna?
  Siccine in obscuro, magne poëta, iaces?
Quem Mausolei decuit fortuna sepulcri,
  Et qui Memphitica mole locandus eras.
Sed tecum veneres, tecum tumulantur amores,
  Quicquid et urbani lingua leporis habet.
Te tuus extincto lacrymas tibi contulit Ordo
  Patritius, tota luctus in urbe fuit.
Mors fera quod potuit secum abstulit; at bona mentis
  Muneraque ingenii non periere tui.
Haec vivent dum Parthenope Sirenas habebit,
  Sebethusque humili fonte refundet aquas.

(1) In tumulo Joannis Francisci Caraccioli.

EIVSDEM (1).

INDVLGENS natura fuit, sors cruda puellae,
 Quae iacet hic primo rapta puerperio.
Et decor, et lepidi mores, et dulcia linguae
 Flumina, et aetatis flos, pietatis amor,
Decretum duri nequierunt vincere fati;
 Ante diem bona tot sustulit una dies.
Talis ad Elysios abiit Catharina recessus,
 Lucifer ut visus nube adopertus abit.
Perpetuas liquit lacrymas utrique parenti,
 Perpetuo extinctam sexus uterque dolet.

(1) Extabat in aede S. Georgii maioris in tumulo Catharinae Montiae.

EIVSDEM (1).

INTER et antiquas clades, interque recentes,
  Quas, Capua, insignes enumerare potes,
Immatura tibi mors Hectoris infima non est,
  Hector qui Phrygio non minor Hectore erat.
Optasset mediis tamen ille occumbere in armis,
  Inque acie extremum victor obire diem;
Non ita in ignavo fatis concedere lecto:
  Tristius hoc illi sic periisse fuit.
Tamque diu, Vulturne, tuum lugebis alumnum,
  In mare caeruleas dum cumulabis aquas.

(1) In tumulo Hectoris Feraemuscae patrit. Campani.

EIVSDEM (1)

LIQVISTI lacrymas, Coniux, mihi semper amaras;
At tibi sint, opto, gaudia perpetuo.
Fugisti moriens curas, comitesque dolores;
At mihi non moritur, te pereunte, dolor.
In lucem e tenebris asserta, mea Alida, abisti;
E luce in tenebras me asserit hic gemitus.
Quod si te possem nigro revocarier Orco
Assiduo fletu, solverer in fluvium.
Ergo, cara vale, et dum tristis in orbe pererro,
Respice ne, Coniux, perpetuo moriar.

ALIDAE VAN-DVGHELLEN SICAMBRAE
QVAM NVLLAE VNQVAM INTEGRITATE ET FIDE
PRAESTITERE MVLIERES HAC FAMA LAETVS
IMMATVRA MORTE DOLENS
GVILIELMVS SCYRRHVS MECHILINENSIS
CONJVG. OPTIM. ET. SIBI ET SVIS. F.
VIX. AN. XXIV. OB. DIE XIV. AP. MDLXI.

(1) Extab. in eccles. S. Ioan. Maior.

INCERTI AVCTORIS (1).

QVOD patri haud potuit viventi solvere munus,
  Ingrato solvit posthumus huic cineri ;
Qui servet, donec somno consurgat ab alto :
  Funere pro tristi condidit hunc tumulum.
Atque parem cineri fraterno ut reddat honorem ;
  Thebanam vicit sic pietate piam.
Officium hoc nati superest ; cum pulvere amomi,
  Blanda superstructo nunc dare thura rogo.

IO. ANTONIO NVCERIO
ET IO. PAVLO FRATRI CARIS.
IO. ANT. FIL. MDLVIII

(1) Extabat in templo Divi Laurentii.

INCERTI AVCTORIS (1)

DEFVNCTVS LOQVITVR.

Est huius vitae cursus labyrinthus; in ipsum
  Ex utero intravi; morte vocante, abii.
Erravi hic quantum Deus, et me fata volebant,
  Lustraque transivi quinque, diesque decem.
Nobilibus tribui studiis haec tempora vitae,
  Vt sic nobilior nobilis ipse forem.
Nunc iaceo, patriae longe tumulatus ab oris,
  Iudicio expectans acta suprema Dei.
Cimbrica me genuit tellus Arctoa, sub austro
  Parthenope rapuit, Parthenopeque tenet.

FRATRI CARISSIMO
BALTHAXAR DE ALEFELE.
C. L. P.

(1) In tumulo Ioannis de Alefele Equit. Cimbri an. MCCCCLXXXL extincti.

INCERTI AVCTORIS (1).

IMPROBA mors, hominum rebus proh semper iniqua!
Dum rex magnanimus totum spe concipit Orbem,
En moritur : saxo tegitur Rex inclytus isto :
Libera sydereum mens ipsa petivit Olympum.

INCERTI AVCTORIS (2).

HIC a Toledo cognomine Petrus humatus,
Qui vita, et studiis clarus, et ingenio.
Servandae huic primum quem Rex praefecerat arci,
Vt munita foret rupibus, arte, fide.
Servata haec annos ter senos, nomen et ossa
Huius perpetuo servet, et omne decus.

VIXIT. AN. LXI. OBIIT MDLVIII.
D. SOPHIA NAGORIM VXOR POS. VT VIR IVSSERAT

(1) Sub imagine Ladislai Regis.
(2) In templo arcis Ermianae prope eccles. Divi Martini.

INCERTI AVCTORIS (1).

INFELIX caro, quam felix anima! Illa sub atra
Computrescit humo, transvolat ista polos.
In cinerem quandoque caro conversa resurget,
Et cineri, atque animae iuncta sequetur eam.

GVILIELMO BERBINEX PATRIT. ANTVERPIENSI VIRO PIETATE FIDE MORIBVS APVD OMNES CASTE INTEGREQVE VERSATO IN AMICOS OFFICIOSO INFELIX CONJVX CATHARINA BOOT MOESTO SVPERSTES ANIMO ET LACRYMIS ET MOERORE P. VIXIT AN. XXXVIII. OB. ID. OCTOB. AN. MDLXXXIX.

(1) Extabat ibidem in tumulo Guilielmi Berbinex.

INCERTI AVCTORIS (1).

ONVSTVS aevo Ianus hic Anisius
Quaerens melius iter reliquit sarcinam,
Qua praegravato nulla concessa est quies,
Tum si qua fulsit, cum Camoenis haec stetit.
Quae mox facessivere plus negocii.
H. M. H. N. S.
HOC DE SVO SVMPSIT SACRVM EST NE TANGITO.

INCERTI AVCTORIS (2).

PAVLVS Palmerius, quamvis fatalis necessitas
Horam vitae supremam non dum clauserit,
Humana vero conditione monitus,
Conditorium hoc sibi lunensi lapide
Iam iam casuris ossibus vivens posuit.

(1) Extat in ecclesia Divi Ioannis maioris.
(2) Extabat in templo Divi Laurentii.

INCERTI AVCTORIS (1).

Praemia si meritis donant condigna Superni,
  Hic meruit Superum post sua fata locum.
Dum vixit virtute micans, bonus, atque modestus,
  Secretus Regis consiliator erat.
Publica semper amans Antonius iste vocatus
  De Penna, extinctum quem tegit iste lapis.

INCERTI AVCTORIS.

Qui populos belli tumidos, qui clade tyrannos
Perculit intrepidus, victor terraque marique,
Lux Italum, Europae splendor clarissimus hic est
Rex Ladislaus, decus altum, et gloria Regum.
Cui tanto, heu lacrymae! soror illustrissima fratri
Defuncto tumulum dedit hunc Regina Ioanna.
Vtraque sculpta sedet Maiestas ultima Regum
Francorum, soboles Caroli sub origine primi.

(1) Ibidem in tumulo Antonii de Penna Regis Ladislai a secretis.

LAVRENTII VALLAE (1).

Nil mihi ni titulus summo de culmine deerat,
Regina morbis invalida, et senio.
Foecunda populos, proceresque in pace tuebar,
Pro Dominae imperio nullius arma timens.
Sed me idem livor, qui te, fortissime Caesar,
Sopitum extinxit, nocte iuvante dolos.
Non me, sed totum laceras, manus impia, regnum;
Parthenopeque suum perdidit alma decus.

SYRIANNI CARACZVLO
AVELLINI COMITI VENVSII DVCI ET REGNI
MAGNO SENESCALCO ET MODERATORI
TRAIANVS FILIVS MELPHIAE DVX
PARENTI DE SE DEQVE PATRIA OPTIME MERITO
ERIGENDVM CVRAVIT
MCCCCXXXII.

(1) Extat in templo S. Ioannis ad Carbonariam in tum. Syriannis Caraccioli.

INCERTI AVCTORIS (1).

INCLYTA Parthenopes iacet hic Regina Ioanna
Prima, prius felix, mox miseranda nimis;
Quam Carolo genitam mulctavit Carolus alter,
Qua morte illa virum sustulit ante suum.

INCERTI AVCTORIS (2).

LVSTRA novem vita functus Raynaldus agebat;
Protulit hunc celebris Carminiana domus.
Concordisque memor thalami, taedaeque Beatrix
Roscia olympiadas conditur ante decem.
Haec moriens vivo mandarat talia nato,
Vt sua dilecto iungeret ossa viro.
COLANTON. CARMINIANVS EQVES
PAREN. OPTIME MERITIS LACRYMABILI PIET.
MOERENS POSVIT AN. MDXI.

(1) In templo Divae Clarae.

(2) Extabat in templo Divi Laurentii in sacello familiae Carminianae.

INCERTI AVCTORIS (1).

Gentis Carrafae sydus, spes una mariti
Viva fuit: posthac mortua luctus erit.
Ante diem cessit magnis gratissima Divis
Portia, quae laudes urbis, et orbis erat.
Nunc ornat Coelum radiis fulgentibus astrum,
Caelicolumque choris nunc mage iuncta micat.

INCERTI AVCTORIS (2).

Avspice me Iatias Alphonsus venit in oras
Rex pius, ut pacem redderet Ausoniae.
Natorum hoc pietas struxit mihi sola sepulchrum,
Carrafae et dedit haec munera Malitiae.

MAGNIFICVS DOMINVS MALITIA CARRAFA
MILES OBIIT ANNO DOMINI
MCCCCXXXVIII. DIE X. OCTOB.
XI. INDICTIONE.

(1) Extabat in templo Divi Dominici.
(2) Extabat ibidem.

INCERTI AVCTORIS (1).

Si fluvios oculis fundam, si pectore flammas,
Nil hoc pro meritis esset, alumne, tuis.
Me miserum! Iuli, maiores poscit honores,
Obsequium, pietas, et tua cana fides.

IVLIO PVDERICO
IVVENI INCOMPARABILI
CVIVS SPECTATAE VIRTVTI PIVS EXITVS ITA
RESPONDIT VT SICVT
DVM VIXIT FVIT INTER SACRA VERSATVS
ITA NVNC MORTVVS FRVI COELO SIT CREDENDVS
PAVLVS PVDERICVS
INVITVS FVNERI SVPERSTES OB INTEGERRIMAE
VITAE ET CHRISTIANI OBITVS MEMORIAM
AETERNIQVE DOLORIS ARGVMENTVM F. CVR.
VIXIT AN. XXV. OBIIT D. XVI. IAN.
DIE SEMPER ACERBE HONORATO
MDLIX.

(1) Extat in Ecclesia S. Agnelli maioris.

INCERTI AVCTORIS (1).

Mors, quae perpetuo cunctos absorbet hiatu,
Parcere dum nescit, saepius inde favet.
Felix, qui affectus potuit dimittere tutus,
Mortalem moriens non timet ille viam.
Candida praesenti tegitur matrona sepulchro,
Moribus ingenioque et gravitate nitens.
Cui dulcis remanent coniux natusque superstes;
Ex fructu mater noscitur in sobole.
Hoc precibus semper, lacrymosa hoc voce petebat,
Cuius nunc meritum vota secunda probant.
Quamvis cuncta domus nunquam te flere quiescat,
Felicem fateor sic meruisse mori.

HIC REQVIESCIT IN PACE
CANDIDA C. F. QVAE VIX. PL. M. AN. L.
D. P. ID. SEPT. IMP. D. N. MAVRITIO PP.
AVGVSTO AN. IIII. P. C. EIVSD. ANNI
INDICTIONE IIII.

(1) Extabat in ecclesia S. Andreae regionis Nilensis in tumulo Divae Candidae iunioris.

INCERTI AVCTORIS (1).

Corpore Lucensis plenus Paulinus ab annis
Hic situs est, anima vectus ad astra Poli.
Insignis pietate Pater, cathedraeque Magister,
Exornans nostrae Relligionis opus.
Quae per eum, cultu quondam collapsa Senensis,
Vivida sub titulo Virginis exoritur.

OB. AN. LXVIII. MDLXXXXV.

(1) Extabat in templo S. Severi.

INCERTI AVCTORIS (1).

VNICVS in toto iacet hic mirabilis orbe,
  Spiritus astra petit, fama perennis erit.
Morte caret virtus, vivet per saecula nomen;
  In quod terrenum est Mors habet imperium.
Lux obiit legum, canonum decus, inclyta tellus
  Quem Perusina dedit, Parthenope sepelit.
Hic fuit et vultu placidus, cunctisque benignus,
  Porta patens daret ut consilium miseris.
Sed quia mente Deum semper dilexit, ad illum
  Fecit iter meritis; quem premit urna brevis.
Mille fluunt anni tercentum, connumeratis
  Octoginta simul, consociando novem.
Vicenusque dies, et tertius ibat Aprilis,
  Quo rapuit terris Mors truculenta virum.

(1) Extabat in diruto templo S. Crucis prope Regias Aedes.

INCERTI AVCTORIS (1)

HEV! Vasti domina excellens virtutibus, ortu,
Orbis quae imperium digna tenere fuit;
Sarcophago iacet hoc nunc parvo corpore pulvis,
Spiritus Angelicis sed nitet ipsa choris.

OBIIT ANNO MDCLXXX. IX. NOVEMBRIS.

INCERTI AVCTORIS (2).

VT flos mane viret tepida productus ab aura,
Languescit flaccus vespere, nocte cadit;
Sic nos mortales orimur, morimurque miselli,
Certaque vivendi non datur ulla dies.
Praesentis vitae est cursus labyrinthus; in illum
Ex utero intravi, morte vocante abii.

CINERES IO. AB. ALEFELD HOLSATI GERMANI
ANTIQVA NOBILITATE EXIMII
QVOS FRATER BALTHAXAR VNICVS MOESTO
SVPERSTES ANIMO SVPREMO
HOC ET PIO SEPVLTVRAE MVNERE HONESTAVIT.

(1) Extat in templo S. Dominici in tum. Vasti Marchionis.

(2) Extabat in templo S. Augustini prope R. Siglam.

INCERTI AVCTORIS (1).

Si virtus, candorque animi, si nobile pectus
Involuit verae Relligionis amor;
In claro hoc equite effulserunt omnia Thoma,
Cuius in hoc tumulo molliter ossa cubant.

IO. THOMAE CARACCIOLO PATRITIO NEAP.
ILLVSTRI ET RELIGIOSO
VIX. AN. LXXXII. OBIIT VLTIMO AVG. MDXCIV.

INCERTI AVCTORIS.

Tres tulit una dies, fuerat tribus una voluptas:
Tres habet, heu! tumulus: lector abi, et lacryma.

INCERTI AVCTORIS.

Haec satis in tumulo: fragilem te noveris esse:
Mors certa est, tempus perbreve, vita nihil.

(1) Extabat in templo S. Mariae Sanitatis.

PETRI BEMBI (1).

Da sacro cineri flores; hic ille Maroni
Sincerus musa proximus, ut tumulo.

VIX. AN. LXXII. A. D. MDXXX.

IACOBI SANNAZARII.

Actius hic situs est: cineres gaudete sepulti;
Nam vaga post obitus umbra dolore caret.

VIX. AN. LXXII. M. I. D. XXIX.
OB. AN. MDXXX.

(1) In tumulo Sannazarii extante in templo Deiparae ab eodem Sannazario aedificato.

EIVSDEM (1).

SPERABAS tibi, docta, novum, Verona, Catullum:
Experta es duros bis viduata deos.
Nulla animum posthac res erigat: optima quando
Prima rapit celeri Parca inimica manu.
Quae tamen ut vidit morientis frigida Cottae
Ora, suum fassa est crimen, et erubuit.

EIVSDEM (2).

CVR heu! Laetitiam falso dixere parentes,
Tristitiam qui me dicere debuerant?
Natus erat miserae lux unica matris, ocellus
Vnicus; hunc Lachesis noxia subripuit.
I nunc, vel Nioben confer mihi; cuius habet sors
Hoc melius, fieri saxea quod potuit.

(1) In tumulo Cottae Veronensis.

(2) Extat Theani Sidicini in ecclesia S. Antonii.

INCERTI AVCTORIS (1).

Certa domus, secura quies, nil quaerimus ultra.

BERNARDINA TRANSO MIHI ET MEIS FECI
MDLVI.

INCERTI AVCTORIS (2).

Vivos Relligio disiunctos iunxit in unum:
Collegas ideo mors separare nequit.

ANNO REDEMPTIONIS NOSTRAE MDLXXVII.
DIE NONO DECEMBRIS.

(1) Extabat in templo S. Mariae Sapientiae.
(2) Extab. in eccles. cathed. Neap. in sacello S. Ioann. ad fontem.

INCERTI AVCTORIS (1).

Conditvr hic parva Carolus Rex primus in urna
Parthenopes, Galli sanguinis altus honos;
Cui sceptrum, et vitam sors abstulit invida, quando
Illius famam perdere non poterat.

INCERTI AVCTORIS (2).

Felices, quibus una fuit mens semper, et una
Quos tulit hora simul, quos lapis unus habet.

AVETE PARENTES OPT. TOMASIO DVRO
RARI EXEMPLI PATRICIO ET IVLIAE ROTAE
GENERE AC RELIGIONE INSIGNI
FILII COLLACRYMANTES FAC. CVR.
AN. MDXXXII.

(1) Extabat in cathed. eccles. Neap. in tumulo Caroli Regis Andegavensis.
(2) Extabat in templo S. Ioan. maioris.

INCERTI AVCTORIS (1).

Hoc mihi qui posui gelido de marmore bustum,
Malvetum patria est, Parthenopen colui.

INCERTI AVCTORIS (2).

CAROLVS extruxit, cor nobis pignus amoris
Servandum liquit, cetera membra suis,
Ordo colet noster tanto devinctus amore,
Extolletque virum laude perenne pium.

(1) Extabat in templo S. Laurentii.
(2) Extat sup. ian. coenobii S. Dominici maioris.

INCERTI AVCTORIS (1).

HECTORIS hoc statuit proles Gesualda sepulchrum,
Quo sua post mortem molliter ossa cubent.

ANNO DOMINI MDLIX.

INCERTI AVCTORIS (2).

OSSIBVS et cineri delegit Didacus Ortiz ,
Vt iaceant , terram , posteritasque sua.

(1) Extabat in eodem templo.

(2) Extabat in diruto templo Conceptionis viae Toletanae in sacello familiae Ortiz.

INCERTI AVCTORIS (1).

Sic animae unanimes Coelo pietate fruantur;
Vt cineres simul ac ossa tenebit humus.

INCERTI AVCTORIS (2)

Flos tener hic languet; qui ni cecidisset, ut urna, et
Nomine, sic magna laude niteret avi.

IO. FRANCISCO IO. ANTONII F. MVSCETTVLAE.

INCERTI AVCTORIS (3).

Qvi fuit Alphonsi quondam pars maxima Regis,
Marinus modica nunc tumulatur humo.

(1) Extabat in templo S. Ioan. ad Carbonariam.

(2) Ibidem.

(3) Extat in templo Montis Oliveti in sacello familiae Magistri Iudicis in tumulo Marini Curialis.

INCERTI AVCTORIS (1).

MARITVS VXORI.

QVIS te cara tuo coniux invidit amanti,
  Et miseram rapuit te mihi laetitiam?
Heu quantum ille nefas, qui te mihi sustulit, egit!
  Delicias omnes sustulit ille meas.
Et cur me melius, quam te mors improba servat?
  Nec pariter campos mittit ad Elysios?
Di mihi crudeles, qui te rapuere, fuerunt
  Et qui te sine me sustinuere mori.

RESPONDET VXOR.

Abstine, te quaeso, coniux dilecte Ioannes,
  Me lacrymis functam sollicitare tuis.
Vixi ego, quae peritura fui, sic volvitur urna:
  Sis contentus eo, quod tibi sorte datum est.
Hic tua sum, quoniam regna in meliora recessi,
  Iam super aethereas a Iove rapta domos.

(1) Extabat in aede Divi Petri Martyris.

INCERTI AVCTORIS (1).

QVID me felicem vani dixere parentes,
Si mihi morte fuit vita molesta magis?
Nil bene successit; patrias moriturus ad oras
Dum propero, hic sepelit Parthenopea senem.

INCERTI AVCTORIS (2).

PIERIDES tumulo violas, Venus alma hyacinthos,
Balsama dant Charites, cinnama spargit Amor.
Phoebus odoratas lauros, Mars ipse amaranthos;
Nos lacrymas, rarae munus amicitiae.

ALEXANDRI NOVOLARIAE COMITIS
PROH DOLOR ET BELLICIS ET LITTERARIIS DOTIBVS
ORNATISSIM.
OSSA HIC QVIESCVNT PRO TEMPORE.
VIX. AN. PLVS MINVS XXXIII.
HIC TANTVM MORTEM DOLVIT
QVOD IN ACIE NON CECIDISSET
QVIBVS NOTVS SAT MISERE DEPLORATVS
ANNO MDXXX. NONIS AVGVSTI.

(1) Extabat in templo Divi Dominici.
(2) Extabat in templo Montis Oliveti.

INCERTI AVCTORIS (1).

DVM Sophia clarus, medicaque Antonius arte,
Imperio mortis eripuisse potest,
Ac pene extinctos Coeli revocare sub auras;
Insidias in eum Mors, sua et arma tulit.
Quin potius tulit arma (licet si vera fateri)
In Phoebum, Sophiamque, et medicae artis opem.
Ille etenim Superos, quaesitaque mente petivit
Tecta; gravem liquit sarcinam in hoc tumulo.

IO. ANTON. BOZZAVOTRAE NEAP.
LIBRIS QVOS EDIDIT CLARO ET DISCIPVLIS
QVOS XX. AN. ARTES OMNES IN STVDIO
NEAPOL. EDOCVIT INSIGNI
FILII
OB DEBITAM PIETATEM POS.
OBIIT XII. IANVAR. SAL. AN. MDLVII.

(1) Extabat in templo Divi Augustini prope R. Siglam.

INCERTI AVCTORIS (1).

Te iuvenem rapuit Lachesis, generose Georgi,
Nec lacrymas tenuit inclyta Parthenope.
In Turcas bello poteras meruisse coronam:
Redditur haec nullo vulnere, laetus abi.

GEORGIO BRVCHNER BRVCHENSTAIN
NOBILI BOHEMO MORTE IMMATVRA PRAEREPTO
OBIIT NEAP. DVM ADVERSVS TVRCAS PVGNATVRVS
MILES GERMANICAE LEGIONIS ADSCRIBITVR
ANNO A PARTV VIRG. MDLXXIV. IX. SEPT.
AET. SVAE XXIV.

INCERTI AVCTORIS (2)

Coniuge, marmoreo, prole et curante, Ioannes
Ricca, tuo tumulo condita membra tenes,
Quod fuerit tua casta fides, moresque pudici,
Vivis, et aeternum vivit in ore decus.

(1) Extabat in ecclesia vulgo dicta *lo Spedaletto*.
(2) Extabat in templo S. Petri ad Aram.

INCERTI AVCTORIS (1).

Gloria, nobilitas, fastus, thesaurus, honores,
Aura levis, nubes, umbraque, pulvis, humus.
Haec quicumque legis meditare, animamque sepulcro
Condere ne trepida, si meliora sapis.

INCERTI AVCTORIS (2).

Vos Venetum tellus genuit Caietane, Ioannes,
Haec habuit Pauli vos domus alma Patres.
Par virtus terris celebres, Coeloque Beatos
Reddidit: ergo eadem vos bene condit humus.

(1) Extat in templo S. Laurentii in tumulo familiae Cicinelliae.

(2) Extat in templo Divi Pauli in sepulcro S. Caietani, et B. Ioan. Marinonii.

INCERTI AVCTORIS (1).

VRNA hac miscere, o coniux dulcissime, nostros
Cura tibi manes, cura mihi cineres.

M. ANT. RIPALTAE R. CAM. SVMMAR. A.
RATIONIBVS CATHARINA GATTVLA CONIVGI
CARISSIMO EX TESTAM.
OBIIT AN. MLXLIV. XVII. KAL. IVNII.

INCERTI AVCTORIS (2).

INFERRE Sancto manes quia turpe putavi,
Idcirco ante fores conditus hic iaceo.

HOSPES QVID SIM VIDES QVID FVERIM NOSTI
FVTVRVS IPSE QVID SIS COGITA
HENRICVS PVDERICVS EQVES NEAPOLITANVS
VIVVS SIBI POSVIT NE DE SEPVLCRO SOLICITVS
HERES ESSET NEVE VIVORVM NEGLIGENTIA
OBESSET MORTVO VALETE POSTERI
MCCCCLXVII.

(1) Extabat in eccles. S. Mariae maioris.
(2) Extat ante ianuam eccles. S. Laurentii.

INCERTI AVCTORIS (1).

Marchio clara sui generis, quin Martia proles,
Praefectus Siculum conditur hoc tumulo.

INCERTI AVCTORIS (2).

Flere tuum licuit, frater dulcissime, funus;
Addere perpetuas non licuit lacrymas.

PAVLO FONTANAE AVGVSTIN. THEOL. CONCIONAT.
AETATIS SVAE ELOQVENTIS. QVI VIX. AN. XLIV.
M. IV. D. VIII. MICHAEL FONTANA FRATRI OPT.
AC B. M. OB PIETAT. P. OBIIT AN. CHRISTI
MLXXVII. XXVI. AVG.

(1) In tum. Marchionis Piscariae
(2) Extabat in templo S. Augustini prope R. Siglam.

INCERTI AVCTORIS (1).

QVIS iacet hoc gelido sub marmore? maximus ille
Piscator, belli gloria, pacis honor.
Nunquid et hic pisces cepit? Non. Ergo quid? Vrbes,
Magnanimos Reges, oppida, regna, duces.
Dic quibus hos cepit Piscator retibus? Alto
Consilio, intrepido corde, alacrique manu.
Qui tantum rapuere Ducem? Duo numina Mars, Mors.
Vt raperent quisnam compulit? Invidia.
Nil nocuere sibi; vivit iam fama superstes,
Quae Martem et Mortem vincit, et invidiam.

(1) In tumulo Marchionis Piscariae.

INCERTI AVCTORIS (1).

QVI coluit Musas, habuitque in honore poëtas,
Basilii hic corpus, mens tamen ante Deum.

ANNO DOM. MCCCCLXXXVI. DIE XXII. IAN.

IN TVMVLO ANTONII ARAGONII

Extremi Montalti Duc. et extremi filior. natural. Reg. Aragoni. (2).

SARCOPHAGO clausus Dux est a sanguine Regum;
Non obiit, cuius nomen, honosque manent.
Spiritus astra colit, vivit sua gloria terris :
In sedes rediit corpus inane suas.

OBIIT AN. DOM. MDLXXIV. DIE VIII. FEB.

(1) Extabat in ecclesia S. Mariae ad Formulas
(2) Ibidem.

INCERTI AVCTORIS (1).

VIRTVTVM Ausoniae, Martis flos, gloria, fulmen
Hoc Ferrandus olet, colitur, tumuloque refulget.
Livida quem Lachesis telo demersit acerbo;
Is modo sed Coelos, aurataque sidera calcat.

FERRANTI FRANCISCO PISCARIAE MARCHIONI.

INCERTI AVCTORIS (2).

VIVIT adhuc, quamvis defunctum ostendat imago.
Discat quisque suum vivere post tumulum

TERRA TEGIT TERRAM
DIOMEDIS CARAFAE
MDXLIV.

(1) Extabat in templo Divi Dominici.
(2) Extat ibidem.

INCERTI AVCTORIS (1).

Hic Ferrande iaces? crudelia fata parenti
Quam mage grata tuo marmore, nate, forent;
Si me eadem, quae te ante diem tulit hora, tulisset,
Vnaque sic omnes conderet urna dies.

INCERTI AVCTORIS (2).

In Tvmvlo Alphonsi I.

Inclytvs Alphonsus, qui Regibus ortus Iberis,
Ausoniae Regnum primus adeptus, adest.

OBIIT ANNO DOMINI MCCCCLVIII.

(1) Extabat in templo S. Mariae Pietatis familiae Sangriorum prop. eccles. Div. Dominici in tumulo Ferdinandi Sangrii Pauli Princip. S. Severi fil.
(2) Extabat in templo S. Dominici Maior.

BERARDINI ROTAE (1).

Si quis se vincit, vera est victoria: victor
Vincenti, hoc primum est, hoc, mihi crede, tuum.
Nam vis nulla via potuit te flectere recta,
Non amor, ira, metus, commoda, dona, preces.
O legum decus invictum, o te iudice iura
Aurea, et o tanto secla beata viro!

INCERTI AVCTORIS (2).

Si dolor est, cui carus obit, virque optimus idem,
Omnibus et qui plus millibus unus amet;
Is meus est, mihi dum genitor dulcissimus, heu heu!
Antiquae exemplar simplicitatis obit.
Aeterni cineres patris, heu! manesque, valete:
Linquor ego, at vobis parta perenne quies.

FRANCISCO VOPISCO VITA FVNCTO
OCTOGENARIO AN. SAL. MD.

(1) In tumulo Vincentii de Franchis.
(2) Extabat in cathedr. eccles. Neapol.

INCERTI AVCTORIS. (1).

SALVE, hospes, qui nostra vides nunc marmora, sparge
Sparge rosas: vatem haec contegit urna sacrum.
Compater hic situs est Generalis, Compater ille,
Cui nunquam similem Parthenopea dabit.
Paullinus secum, secumque Antonius una
Accubat; hos genuit clara Golina domus

AN. MDI.

INCERTI AVCTORIS (2)

STILIANI illustris propria virtute, et avorum
Princeps, hic factus clauditur umbra, cinis.

(1) Extab. in templo S. Laurentii.
(2) In tumulo Hostiliani Principis.

INCERTI AVCTORIS (1).

Dvm facio infelix aeterno funera fletu,
Creverunt lacrymis haec monumenta meis.
Queis nisi mollissem tristissima corda, rigerem
Ipsa etiam hic toto corpore facta silex.

VIDO FERAMOSCAE
MEMNENSI REGVLO QVI CVM VNIVERSA FERA-
MOSCARVM DOMO TANDEM SEPVLTVS EST
ISABELLA CASTRIOTA
CONIVGI CARIS. F. VIX. AN. LII, M. VII. D. VI.
H. M. H. N. S.

INCERTI AVCTORIS (2).

Delicivm fuerat quae mox iam nata parentum,
Clarius haec vivens nempe futura fuit.

(1) Extat in eccles. Montis Casini.

(2) Extabat in eccles. S. Dominici in tum. Ducis Bibini.

INCERTI AVCTORIS (1).

Tansillvs, quem nosti, hospes, cui blanda melodi
Calliope, Siren, et bene munda Charis;
Hic situs, hic suspensa Dei lyra, signa, tubaeque
Caesaris; ambobus Dîs comes, inque fide est.
Hinc ille ad superos revocatus, ubi omnia fama
Implevit: iam abi, et his gratiam habeto oculis,

PIARVM LACRYMARVM
VATI TANSILLO
DA PIAS VIATOR LACRYMAS
CEV DELITESCENTEM INSCRIPTIONEM INSTAVRANS
TANTI VIRI MEMORIAE MEMOR
HORATIVS DE GARANO
CVM LACRYMIS RESTITVIT
AN. MDCXXIIII.

(1) In tumulo Aloysii Tansilli.

INCERTI AVCTORIS (1).

Gerardi hoc Sardi recubant nunc ossa sepulcro,
Quod Gabriel Sardus condidit ipse nepos.

INCERTI AVCTORIS (2).

Qui iacet hoc tumulo Paradisi luce fruatur;
Sitque sibi requies, et sine nocte dies.

INCERTI AVCTORIS (3).

Ora vides Lucae de Penna hoc marmore sculpta;
Clarior in scriptis extat imago sui.

(1) Extabat in eccles. S. Laurentii.

(2) Extat in eccl. Cathed. Neapolit. in sacello familiae Caracciolo in sepulcro Matthaei Caraccioli defuncti An. MCCCXIV.

(3) Extab. in templo Divi Dominici.

INCERTI AVCTORIS (1).

DISCE mori; brevis hora rapit mortalia: magnus
En modo qui fueram, sum cinis, umbra, nihil.

INCERTI AVCTORIS (2).

CERNIS Aragonii Petrum haud ignobile semen
Antonî, illustris sanguine, stemmatibus.
Prima aetate fuit perdignus sede paterna;
Hunc rapuit terris sed Libitina suis.

OBIIT NEAP. DIE XXIX. APRILIS MDLII.

(1) Extabat ibidem.
(2) Ibidem in tum. Petri Aragonii.

INCERTI AVCTORIS (1).

FERRANDVS senior, qui condidit aurea secla,
Mortuus Ausoniae semper in ore manet.

OBIIT ANNO MCCCCXCIV.

INCERTI AVCTORIS (2).

FERRANDVM, Mors saeva, diu fugis arma gerentem;
Mox positis (quaenam gloria?) fraude necas.

OBIIT. ANNO DOMINI MCCCCXCVI.

(1) Ibidem in tum. Ferdinandi I. Aragonii.
(2) Ibidem in tum. Ferdinandi II. Aragonii.

*

INCERTI AVCTORIS (1).

SVSCIPE Reginam pura, hospes, mente Ioannam,
Et cole, quae meruit post sua fata coli.

OBIIT AN. DOM. MDXVIII. DIE XXVIII. AVGVSTI.

INCERTI AVCTORIS (2).

HIC Isabella iacet, centum sata sanguine Regum,
Qua cum maiestas Itala prisca iacet.
Sol qui lustrabat radiis fulgentibus Orbem,
Occidit, inque alio nunc agit Orbe diem.

OBIIT DIE XI. FEBRVARII MDXXIV.

(1) Ibid. in tum. Ioannae uxoris Ferd. II. Aragonii.

(2) Ibid. in tumulo Isabellae Aragoniae Alphonsi I. fil.

INCERTI AVCTORIS (1).

Dormis, an vigilas Antoni? Sector utrumque;
Ossa quidem primum, sed virtus, fama secundum.
Sanguine quo cretus? Genitor quis? Quidve moraris?
Stirpis Aragoniae, Ferrandus, Iudicis horam.

OBIIT ANNO DOM. MDXLIII. DIE VI. OCT.

INCERTI AVCTORIS (2).

Cernis Ioannem magna de stirpe nepotem:
Sustulit hunc puerum, quae rapit illa senes.

OBIIT AN. DOM. MDLXXI. DIE XI. OCTOB.

(1) Ibid. in tumulo Antonii Arag. Ferd. fil. nat. Alphonsi I. nep.
(2) Ibid. in tumulo Ioannis Arag. Ducis Montaltis

INCERTI AVCTORIS (1).

FERNANDO aeternum puero diffundite acanthum,
Indole mirando, et stemmate Aragonio.

INCERTI AVCTORIS (2).

QVAE fuerant Mariae Lazerdae maxima vivae,
Et genus, et culmen, omnia mors rapuit.

INCERTI AVCTORIS (3).

VIDI orbem et terras, Comitem comitatus, et orbum
Me patria terra haec extera terra tegit.

(1) Ibid. in tumulo Ferdin. Ant. Aragon. fil.
(2) Ibid. in tumulo Mariae Lazerdae Duc. Montalti.
(3) Extab. in diruto templo Montis Dei.

IOSEPHI MACRINI (1).

I. C. NEAP.

Nate peris, tecumque patris periere dolentis
Spes, et deliciae matris, et urbis amor.
Tu tamen aeternum rides, lacrymasque tuorum
Despicis, immensas tam cito nactus opes.
Nempe ut tanta tui illuxit praestantia vultus,
Visa ea coelesti debita forma choro.

QVINQVENNI VNICO FILIO IO. THOMAE I. C.
AVI NOMEN GERENTI
IOSEPH MACRINVS I. C.
AN. MDCC.

(1) Extabat in templo S. Agnelli maioris.

NICOLAI CAPASSI (1).

IN. R. NEAP. GYMNASIO PRIMAR. CAN. ANTECES.

Non tibi sit decori series antiqua togarum,
Gesta patrum famae sint aliena tuae.
Tu gentem extollis, Thoma, non te extulit ipsa:
Sis novus, hoc doctum te satis ornet opus.

EIVSDEM (2)

Et sancte vixit sophos hic, et vixit in aula:
Non modo sprevit opes, sprevit et ingenium.

(1) Sub effigie Thomae Caravitae R. Consil. apposita in Opere Institut. Criminalium ab eodem conscripto.
(2) Sub effigie Caroli Maielli Archiep. Emisseni.

EIVSDEM (1).

Vt libris vixit, libris immortuus hic est,
Vivat ut in libris mortuus ipse suis.

IOSEPHI AVRELII DE IANVARIO

Reg. Consiliar. (2).

Si privata hominum, si publica vota valerent,
Non foret, heu! lacrymis, tristitiaeque locus.
Viveret egregius, nuper quem amisimus, heros
Bervikius, bello maximus, atque domi.
Sed si forte parum nobis sit vivere visus,
Et fama, et meritis vixerat ille diu.
Sic praestat vixisse, ut non, quos viximus, anni,
Sed longam vitam vivere gesta probent.

(1) Sub effigie Nicolai Cyrilli in Neap. R. Gymnasio Medicinae Professoris.

(2) In tumulo Ducis Bervikii.

EIVSDEM (1).

AVGVSTI cineres, magni pars una superstes
Bervikii, brevis haec quos tegit urna sinu,
Ne procul hinc migrate; licet suprema voluntas
Defuncti herois non ita praecipiat.
Sic nostrum vulnus minus insanabile; tanti
Sic iactura viri fiet acerba minus;
Atque Italas quicumque plagas lustraverit hospes,
Dicet: in hoc virtus marmore clausa latet.

EIVSDEM (2).

IVSTITIAE hic potius pingi debebat imago;
Maggiocchi melior sic foret effigies.

(1) Ibidem. Adluditur ad testamentum, quo iussit suos cineres Neapoli ad Hispanias traducendos.

(2) In icone Antonii Maggiocchi Quinqueviri Sanctior. Reg. Consil.

EIVSDEM (1).

MAGGIOCCHI est eadem, ac aeque Rationis imago:
Alterutra, ut possis noscere utramque, sat est.

EIVSDEM (2).

VIVERE cui miserum est, miserum est occumbere. Neutrum
Hoc tibi: grande fuit vivere, grande mori.

EIVSDEM (3).

DVPLEX Bernardus. Vitium correxerat alter:
Alter virtutem qui celebravit, hic est.

(1) Ibidem

(2) In funere Fr. Bernardi Mariae Giacchi e Cappuccinorum familia.

(3) Sub icone ante eiusdem Giacchi Orationes typis editas.

EIVSDEM (1).

Ecce quod aeternum est, defuncti splendida virtus;
Ecce quod humanum est, quem tegit urna, cinis.

ALEXII SYMMACHI MAZZOCCHII (2).

Metropolit. Neapol. Eccl. Canonici, atque in R. Neap. Gymnasio Sacrae Script. Interpr.

Terrevm habe hoc spolium grave, terra, parumper apud te,
Dum levis exsilio melior pars, et vaga cursu
Astra peto relegens solito nota aequora calle,
In re praesenti contempler ut abdita rerum.

(1) In funere Marchion. Iosephi Andreassi Quinquevivi. Sanctior. Cons.

(2) Extat in eccl. S. Ioannis ad Carb.

Post ubi terrigenas tuba conciet aere canoro,
Depositas olim exuvias retulisse memento.

SECVRITATI MEMORIAEQVE PERPETVAE
NICOLAI CYRILLI
PHILOLOGI PHILOSOPHI MATHEMATICI
CONSVMMATAE PERITIAE MEDICI
REG. PRIMARII PROFESSORIS DISERTISSIMI
VIXIT AN. LXIII. M. IX. D. XXI.
INGENTI SVI DESIDERIO APVD CIVES
TVM ET EXTEROS SVI CVLTORES RELICTO
OBIIT AN. CIƆIƆCCXXXV. POSTR. KAL. QVINTIL.
CVM OMNIVM LACRYMIS LVCTVQVE ELATVS
FRANCISCVS BONOCORIVS
PHILIPPI V. HISPANIAR. REGIS MEDICVS
CAROLI REGIS VTRIVSQVE SICILIAE
REGNIQVE ARCHIATER
PRAECEPTORI SVO DE SE OPTIME MERITO
ANIMAEQVE INDVLGENTISSIMAE
DE QVO NIHIL DOLVIT NISI MORTEM.

EIVSDEM (1).

Legiferae dilecte Deae dulcissime rerum, et
  Grande reis columen, iamne Magiocche iaces?
Iamne tuum stamen gaza pretiosius Inda
  Dissecuit bifida forfice Parca procax?
Non rebar de te huic tantum licuisse, ni ad aures
  Vatum turba meas flebilis accideret:
Vatum turba sui ex obitu gemebunda parentis;
  Queis socium in questus me dare cogit amor,
Priscus amor: vocem at dolor intimus intercludit,
  Singultire sinens, fingere verba vetans.
Quocirca vix hoc tremulis lacrymabile carmen
  Inscribam digitis in lapide ipse lapis:
Dormi sancte senex, requies cui parta laborum;
  Nam patriae, et populis advigilasse sat est.

(1) In funere Antonii Maggiocchi Quinqueviri Sanctioris Consilii.

EIVSDEM (1).

CONSTANS, acer, atrox, totus mens, totus acumen:
Haec animi facies, haud moror ora viri.

IO. IOSEPHI CARVLLI

I. C. NEAP. (2).

POLITIORVM flos virum, atque ingens fori
Decus, bonarumque artium columen fuit
Aurelius: nunc fatum ademit invidum
Politioribus viris, foro, artibus
Animam optime meritam, animam carissimam.
Quod nempe restat unum, amici munere
Donant supremo cum dolore, et lacrumis.

(1) Sub efficie Nicolai Capassi.
(2) In fuuere Iosephi Aurelii de Ianuario.

EIVSDEM (1).

Et gratiae, et ioci, decusque, et literae
Reconditae, quicquid et ubique est artium
Politiorum, floruisse in Porticu
Iam visa, dum Dii sinebant. Verum ut est
Flos ille clarorum virum lectissimus
Quotquot fuere, eruntve posthac, omnium,
Ereptus ante annos Philippus Gattius
(Vobis, malae, male sit, tenebrae orci; o male
Factum! o misella Columba! heu vota irrita!
Heu spes, Morane, tuas inanes!) funditus
In Porticu periisse visi sunt ioci,
Et gratiae, et decus fere omne, et literae
Reconditae, tum quicquid elegantiae, et
Politiorum est artium: actum est ilicet.
Quod vero amoris ultimum est munus super,
Olli Columba debeat quum plurimum,
Sive potius nihil quum ei non debeat,
Animae optime meritae, animae dulcissimae
Moerens parentat cum dolore et lacrumis.
Incomparabilis anima et carissima,
Aeternum ave. Nos te sequemur ordine
Eo, sequi natura quo permiserit.
Vbi ubi sies, salve, et memor nostri vale.

(1) In funere Fr. Iacobi Philippi Gatti Ordin. S. Augustini et Socii Academ. Neapol. Portic. Staterae nuncupat. pen. Hieronym. Moranum I. C. habitae.

VITI MARIAE IVVENATII (1).

FATORVM invidia postquam loca, Alexi, silentum,
  Erepte heu! nostris casu inopino oculis,
Venisti, tecum divae venere Camoenae,
  Fixerat et sedem quae in labiis adeo
Suada tuis; tum autem turba omnis, cohorsque leporum:
  Non tam ipse in tacitas ut videare domos
Isse modo, quam nos videamur, Alexi, relicti
  Muti, atque exanimes morte fuisse tua.

EIVSDEM (2).

ADSPICITE, Cives, ora Marci, claritas
Cui parta penicillo maxima est suae
Aetatis uni; gloriari enim seni
Liceat, licet quum impune. Iam partes satis
Tueri studui, artificis quae fuerant; tamen
Primam poposci laudem in ethesin mihi,
Quam sum iudicio consequutus omnium.

(1) In funere Alexii Nicolai Roscii I. C.

(2) Romae in Pantheo sub effigie Marci Benefialii Pictoris.

EIVSDEM (1).

QVEM Cremona parens creavit, hic est
Doctus Parthenius, piusque, alumno
Quo tantum illa superbit uno, ut aeque
De nota meliore nec trecentis,
Pace, Vida, tua, et tua, Faërne.

EIVSDEM (2).

AD celeritatem mutatis vehens equis
Iosephus Imperator, interiungere,
Simul Ferrariam attigit, suos iubet
Parumper, ipse dum sacris obtutibus
Subiiciat Areosti conditorium;
Quibus postquam pro tempore est satis sibi
Fecisse visus, extemplo refert pedem,
Et institutam prosequitur porro viam.

Si quid apud Manes sentis, Lodoice, superbi,
Et dic: laus cineri est addita quanta meo!

(1) Subscribendum imagini Iosephi Mariani Parthenii.
(2) Inscribendum monumento Ludovici Areosti v. Kal. Quintiles CIƆIƆCCLXVIIII.

NICOLAI IGNARRAE (1).

METROPOLIT. ECCLES. NEAP. CANON. ET IN R. NEAP. GYMNASIO S. SCRIPT. INTERPRET.

I.

Ohe! vides ne, ut hinc avicula evanuit,
Citoque tranans, abdidit se nubibus?
Nae fuscus ille fuscus petasatus senex,
Mortalium qui intercipit solatia,
Huc clanculum adveniens minaci forfice,
Quo praepedita volucris erat, filum abscidit.
At o Carole Tite, puelle Tite bellule,
Neapolis amor, et delicium Trinacriae,
Diu ne ocellos ne fatiges lacrymis
Micantiores Dîs gemellis fratribus;
Nam facile iacturam fuerit reparariet.

II.

Instructus alis (quas Dea Innocentia
Quae maxima est natu Altisonantis filia,
Negat negasse cuiquam ea aetate puerûm

(1) In obitu Caroli Titi Ferdinandi IV. Vtriusque Sicil. Reg. fil.

Fastidientium hîc premere vestigia)
Terras relinque humiles, volansque in aethera
Perniciter prehende fugitivam alitem.
Illic recepta, tibi Poli per inania
Quoscumque risus largietur et iocos.
Ibique cum aliis lusitabis pupulis,
Simulque cum Mentium aligeris legionibus
Mundî Opificem perenne in aevum concines.

MARCI MVNDI

VI. VIRVM ELECTORVM VRBIS NEAP. A SECRETIS.

Eheu! mors impia, mors invida, impura mors,
Quam tanta non distinuit pietas, fides,
Humanitasque, et prudentia, et pudicitia:
Saltim flexanima denique venustas
Vt flosculum ne discerperet, abriperet,
Quantum est virginum praecellentiorum.

CAECILIAE RICCARDI OSSA HEIC SITA SVNT
AGNELLVS FRATER
CONDIDIT NON SINE LACRVMIS.
VIX. AN. P. M. XVI. DEP. EID. MARTIIS
ANNO CIↃIↃCCLV.

EIVSDEM (1).

PRINCIPIBVS placuisse viris etsi non ultima,
Vetus ea tamen, atque huic illa quaesita laus.
Ademptum perdoluisse haec tua fuerit, Aegyptii,
Cui uni licuit in media aula philosophari.

FRANCISCI DANIELII (2).

ACADEM. HERCVLANENSIS A SECRETIS
AC R. HISTORIOGRAPHI.

HEV nusquam appares, nec matri ex more vocanti
Respondes, ubi, dic pupule dulcis, ubi es?
Discupit in roseo pater oscula ferre labello,
Vt solet, et multas dicere blanditias.
Pupule mi, nusquam es: te funere mersit acerbo,
Et nostras rapuit mors fera delicias.

(1) In obitu Comitis Matthaei Aegyptii R. Bibliothecarii.

(2) In obitu pueri suavissimi, ingenioque supra aetatulam praestanti.

EIVSDEM.

PRO pietate mea heic lacrumas, et candida fundo
Lilia luteolis mixta papaveribus.
Quando etenim nequeo patris exsaturare figura
Lumina, vel dextrae figere suaviola;
Quando nec interitus gaza reparabilis ulla est,
Saltim has reddo piis manibus inferias.

MEMORIAE AC QVIETI AETERNAE
MARCI MVNDI
I. C. INCLYTO CONLEGIO VI. VIRVM ELECTOR.
VRBIS NEAP. A SECRETIS
QVI VIXIT AN. LXXIX. M. V. D. IX.
DECESSIT PRID. KAL. APRIL. AN. CIƆIƆCCLXI.
DOMINICVS FILIVS
PARENTI BENEMERENTISSIMO
PONENDVM CVRAVIT
AN. CIƆIƆCCLXIII.

AGNELLI AMETRANII (1).

I. C. NEAP.

DIGNVS in aeternum vitam qui duceret aevum,
  En cecidit mortis victima Mazochius.
Profuit haud quicquam noctu evoluisse diuque,
  Quidquid in antiqua conditur historia.
Iure gemit Siren, questus Academia fundit,
  Nec chorus Aonidum temperat a lacrymis.
Symmache, te Latium, te Graecia luget ademptum,
  Te regna Eois proxima littoribus.
Tantum de populis nescitur nempe vetustis,
  Ah! quantum aetatis vir tibi summe deest.

(1) In obitu Alexii Symmachi Mazochii.

CAROLI MARIAE ROSINII.

EPISCOPI PVTEOLANI (1).

Coelo animus, legata tribus sunt lipsana templis,
Orbis virtutum vix monumenta capit.
Vana quid urna sita est? iuvat hoc de morte trophaeum
Ponere, quae vano vulnere spe cecidit.

AD LECTOREM.

Te moneant, lector, tot in uno funera libro,
Tempore quod certo tu quoque funus eris.

Finis.

(1) In funere Mariae Theresiae Austriacae Imperat. et Reginae Apostolicae.







